



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim  
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici  
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1622**

Sect. 1. An credendum requiratur propositio facta singulis à Deo  
immediate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

mis Ecclesie, necne: & ideo non statim per Fidem infusam assentiretur, siq; merito Deus illum non mouet ad talem assensum. Vnde etiam fieri potest, vt talis applicatio obiecti fidei obliget quidem talem hominem ad non discredendum, donec maiorem diligentiam adhibeat: vel forte etiam ad credendum aliqua fide generatim sumpta, non tamen ad credendum tali fide, quæ nullam hæsitacionem admittat, donec de doctrina Ecclesie certus sit. Hinc vltius verisimile mihi est, etiam iudicium practicum in eo casu, non esse tam perfectum quantum est in eo, qui verè credit ea, quæ in re ipsa sunt reuelata: quia in homine vere credente iudicium illud est, quod sit credendum fide omnino indubitabili, in alio vero, vel non est tale iudicium, vel non est secundum prudentiam in re ipsa, quia propositio non erat ad hoc sufficiens, nec satis est quod ex ignorantia appareat esse secundum prudentiam, nam etiam interdum homo putat esse demonstrationem, quod non est satis, vt assensum scientiæ eliciat; & qui ex ignorantia operatur, licet putet se prudenter agere, nihilominus actum prudentiæ non elicit. Vnde consequenter fit etiam actum voluntatis non esse eiusdem rationis, neq; ita supernaturalem in illo casu, sicut est in homine vere fidei, quia vel non est de eodem obiecto, id est, de eodem modo credendi, vel si ad hoc extenditur, non est secundum prudentiam infusam: in virtutibus autem moralibus etiam hoc reperitur, quod suos proprios actus non eliciunt, quando obiecta per prudentiam non proponuntur, etiam si esse talia ignoranter appareat; & ita videtur satisfactum difficultati propositæ, & omnibus membris eius: & ex dicendis in sequenti disputat. res hæc difficilis profecto, & obscura, magis elucidabitur. Quare de obiecto formali fidei hæc sufficiunt.

## DISPVT. QVARTA.

*De propositione obiecti fidei sufficiente, ac necessaria ad credendum.*

Necessitas  
propositio-  
nis oritur tñ  
ex parte ob-  
iecti, quia ob-  
iectum est.

Tum ex par-  
te nostri,  
quia nequi-  
mus aliter  
credere propo-  
sitionem.

**D**iximus hætenus de toto obiecto fidei, tam materiali, quam formali. Indicauimus etiam præter hæc duo esse necessariam conditionem aliam ex parte obiecti ad credendum, nimirum vt obiectum fidei sufficienter proponatur, cuius conditionis necessitas, ex ipsa obfcuritate obiecti, seu reuelationis fidei nascitur; nam quia obiectum fidei in se non videtur, neq; etiam reuelatio ipsa euidenter cognoscitur, vt emanans à Deo, nec Deus ipse, vt reuelans, & testificans, ideo necesse est, vt totum obiectum credendum, & reuelatio eius, alio modo proponatur, & offeratur intellectui, vt circa illud versari, & assensum præbere valeat. Potest etiam hæc necessitas alio modo declarari: nam fidei assensus, licet sit actus intellectus, à voluntate, tãquam à mouente, seu imperante dependent, nemo enim credit nisi volens, ait Aug. Igitur ante assensum credendi antecedit voluntas ferri in incognitum, ergo ante assensum, & voluntatem credendi, necessario antecedere debet aliqua cognitio, qua ipsummet credere proponatur, vt honestum seu amabile, & rationi consentaneum, & consequenter etiam oportet, vt id, quod credendum est, proponatur, vt credibile, & dignum fide: ergo hæc ratio propositio illius obiecti antecedere debet, saltem vt conditio necessaria ad credendum. De hac igitur conditione, & propositione nobis dicendum superest. Et tria circa illam explicabimus. Primum à quo fieri possit, aut debeat. Secundum quomodo aut qualis esse debeat. Tercio, an de facto in fide nostra non sufficienter modo, sed etiam perfectissime reperiatur, quod à sect. 3. vsq; ad finem disputationis præstabitur.

## SECTIO PRIMA.

*Virum ad credendum necessarium sit obiectum fidei immediate à Deo propositum singulis credentibus.*

**I**N hoc puncto fuit antiqua hæresis, illud solum esse credendum ab homine, quod Deus illi immediate proponit, & reuelat. Hanc hæresim excitauit hæretici huius temporis, vt sumitur ex Hosio lib. 1. cont. Brentium, & ex Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. & ex hoc principio dicunt, regulam credendi esse priuatam inspirationem, seu illuminationem, quæ unicuique interius fit, vt latius disps. sequenti videbimus. Afferunt autem hi hæretici nonnulla Scripturæ testimonia ad hunc errorem suadendum. Primum & præcipuum est illud Hier. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam,* principaliter enim loquitur de lege fidei. Vnde subdit, *non docebit vnusquisq; proximum suum, &c.* significans omnes esse immediate docendos à Deo. Secundum est, illud 1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus,* vnde ibid. etiam dicitur, *non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, &c.* cui etiam consonat illud Matt. 23. *Vnus est magister vester, & illud Ioã. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, ac deniq; illud 1. ad Cor. 2. Spiritus autem iudicat omnia.* Secundo, possumus argumentari ratione, quia si propositio fidei per creaturam fiat, & præsertim per homines, eo ipso necessarium est, vt veritas fidei reddatur incerta: hoc autem est contra rationem fidei Christianæ: ergo perfectio huius fidei exigit, vt obiectum eius immediate per Deum ipsum illi proponatur. Maior (cetera enim clara sunt) declaratur exemplo: nam si aliquid nobis proponatur, vt credendum ex testimonio hominis fide dignissimi, & non ab illo verbum eius audiamus, sed per alium minoris authoritatis proponatur, hoc ipso infirmatur Fides humana in suo ordine, & res minus certa efficitur, & tanto magis crescit hæc incertitudo, quanto plura media seu plures proponentes intercedunt, quod totum euidenter experimento notum est, ergo idem erit, proportionem seruata, in fide diuina, & obiecto eius: nam intercedit eadem ratio, videl. quod certitudo assensus etiam pendeat à proponente, & ideo nisi ille sit æqualis authoritatis, claudicat, vt ita dicam assensus, & certitudo.

2. Contrarium nihilominus docet Fides Catholica, ad quam in hoc puncto explicandam, Dico 1. *Fidei, non est necessarium ad credendum, vt fidei obiectum per ipsum Deum immediate proponatur.* Assertio est certa de fide, quæ probari potest, simul inductione, & diuinis Scripturis, nam in primis, angelis omnibus sufficienter propositum est fidei obiectum, & tamē iuxta doctrinam communem Theologorum sumptam ex Dionysio c. 4. de diuinis nominibus, non omnibus immediate Deus locutus est, illuminat enim infima per media, & media per superiora, atq; ita tantum supremo angelo creditur Deus immediate reuelasse mysteria, & per eū ceteros suo ordine. Vnde etiā de Adamo licet verum sit immediate accepisse à Deo infusam Fidem, nihilominus, quoad obiecti propositionem, per angelos fuit illuminatus, & doctus iuxta eandem communē doctrinam. Verum hæc minus certa sunt, licet sint verisimiliora. De hominibus autem in statu naturæ lapsæ certior sit inductio, nam in primis in statu legis naturæ paucæ factę sunt reuelationes hominibus, quæ immediate à Deo processerint, scil. quibusdam Patriarchis, vel excellentioribus hominibus, ordinaria autem lex fuit, vt parentes filios docerent, & sic per cōtinuam traditionem Fides ad posteros deueniret, & hoc modo Adā instruxit in Fide filios suos, & de Abraham dicitur Genes. 18. *Scio quod præceptum sit*

Hæresis affirmans.

Argum. 1. hæretici ex Scriptura.

2. Argum. ex ratione.

Assertio 1. de fide.

Probatum ex Script.

rus sit filius suus, &c. Deinde de tempore legis Moyſis dicitur Exod. 14. Crediderunt Deo, & Moyſi ſeruo eius, utique Deo, vt teſtificanti, & immediate loquenti cum Moyſe. Moyſi autem, vt ſufficienter proponenti: nam Deus ad totum populum per Moyſem loquebatur. Deuteronomio autem 10. additur. Eruntque verba hæc in corde tuo, & docebis ea filiis tuis. Vnde eſt illud Plalm. 77. Quanta mandauit Patribus noſtris, nota facere ea filiis ſuis. Præter hæc autem ſæpe Deus per Prophetas loquebatur, & nouas reuelationes proponebat, iuxta illud Luc. 1. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt: prophetarum eius, & ad Hebr. 1. Olim Deus loquens Patribus in prophetis. Denique in lege gratiæ idem modus prouidentię, & prædicationis fidei ſeruatus eſt. Nam in primis miſſus eſt Ioannes, vt omnes crederent per illum; poſtea vero Deus ipſe per humanitatem aſſumptam docuit eos, qui illum immediate audire potuerunt. Ad reliquos autem miſit Apoſtolos dicens Marth. vltimo. Predicite Euangelium omni creature. Et ſubdit, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit. Et Act. 1. Eritis mihi teſtes, &c. vſque ad vltimum terrę. Ergo hic eſt modus ſufficientis, imo & ordinarius, ad proponendam, & conſciendam fidem. Et ideo dixit Paul. ad Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Loquitur autem de verbo ſenſibili, nam ſubdit, Quomodo audient ſine predicante, &c.

3. Et confirmatur hæc veritas, quia alijs inutilis eſſet Scriptura, & traditio, ac doctrina fidei per Eccleſiam: quia hæc omnia creata ſunt, ergo ſi neceſſaria eſt immediata locutio, & propoſitio ipſius Dei, hæc non ſufficiunt, imo parũ deſeruiunt. Cõſequens autem eſt plane hæreticum: nam de Scripturis dicit Chriſtus Ioan. 10. Scrutamini Scripturas, nam ipſe teſtimonium perhibet de me: quamuis enim per homines ſcriptę ſint, tamen Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines, & ipſemet Scripturę traditionem, & doctrinam Eccleſiaſticam commendant, vt infra ſuis locis videbimus. Vnde etiam poteſt hæc veritas confirmari, teſtimonijs Patrum, qui nos docent recurrere ad originem fidei, & per continuam traditionem credentium, veram fidem retinere, & ſpecialiter videri poſſunt Iren. lib. 4. cap. 43. & Cyprian. in Epistol. 14. Euseb. in principio librorum de præparatione Euangel. Epiphani. in principio oper. contr. hæreſ. & optime Aug. in præmio lib. de doctrina Chriſti, & toto lib. de vtilitate credendi, & lib. 11. conſol. cap. 3.

4. Denique addere poſſumus congruentias, prima deſumitur ex ſuaui ordine diuinę prouidentię, quam tetigit Auguſt. lib. contr. Epistol. Fund. cap. 4. & 14. dicens: Sicut Deus immediate creauit vnum hominem, & ab illo ac per illum producti ſunt ceteri, ſucceſſione continua, ita in fide per ſe inſtruxiſſe Deum quosdam homines, à quibus alij docerentur. Et ita communis ratio prudentię eſt, vt homines per homines doceantur, ſicut ad Cornelium miſſus eſt Petrus Act. 10. & ad Eunuch. Philippus Act. 8. Quod ſi interdum hic ordo mutatur, eſt ſpeciale priuilegium, ſicut Paulus de ſe dicit ad Galat. 1. Non ab hominibus neque per hominem. Secundo fuit hoc conueniens ad conſeruandam conſenſionem, & vnitatem fidei, inter homines, nam ſi fides concipi non poſſet, niſi per immediatam DEI propoſitionem, vnusquisq; præſumeret de ſua fide, & ſeruet ſibi regulam fidei, quod eſt abſurdiſſimum, vt infra videbimus. Sic enim Angelus Satanę facile ſe transformaret in Angelum lucis, & inde naceretur infinita diuiſiones, & ſchiſmata, quia non teneretur homines fidem dare exteriori doctrinę, ſed interiori imaginationi, contra illud Pauli. Si Angelus de celo euangelizauerit vobis aliter quam euangelizatum eſt, anathema ſit. Tercio potuit hoc conferre ad maius meritũ fidei, & maiorem humilitatem exercendam, dum in re diffiſſima homo ſubijcitur homini, etiam quoad intellectum, in quo ſolet eſſe maior

Suarez de Fide.

ior difficultas. Hæc autem rationes omnes ſupponunt hunc modum propoſitionis fidei poſſe eſſe ſufficientem, quod ex vſu ipſo ſatis probatum relinquitur; modus autem huius ſufficientię infinuabitur, ſtatim, reſpondendo ad rationem contrarij erroris, & latius in ſequentibus explicabitur.

5. Dico ſecundo: quamuis neceſſarium non ſit, vt ſufficientis propoſitio fidei à Deo immediate fiat, neceſſarium ſaltem eſt, vt diuina virtus in ea proxime, & ſpecialiter intercedat. Hęc aſſertio poteſt cõmode declarari per diſtinctionem illam phyſicam de cauſa efficiente immediatam immediatione ſuppoſiti, vel immediatione virtutis: prior enim pars procedit de immediatione ſuppoſiti, ſic enim oſtenſum eſt in præcedenti aſſertione, non eſſe neceſſariũ vt propoſitio fidei immediate à Deo fiat: quin potius regula generalis in hoc puncto eſt, ordinarię illam propoſitionem fieri per aliquos Dei miniſtros, vel homines, vel angelos iuxta occurrentem opportunitatem, in tribus autẽ caſibus inuenimus, Deum propoſuiſſe fidem immediate immediatione ſuppoſiti. Primus vocari poteſt neceſſitatis, ſic enim dixit D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 154. neceſſarium eſſe vt propoſitio fidei interdum à Deo immediate fiat: nã ſi fides traditur per aliquem Dei miniſtrum, neceſſarium eſt, vt ille ſit doctus ab alio, vnde cum nõ procedatur in infinitum, neceſſarium eſt peruenire ad aliquem, qui ſit immediate doctus à Deo, & hoc modo Deus immediate propoſuit fidem primo angelo, vt dixi. Procedit autem hic diſcurſus, quando miniſter Dei per fidem tantum ſuſcepit doctrinam, quam alijs tradit: poſſet enim primus fidei prædicator doceri à Deo per ſcientiam inſuſam, vel beatã: & tunc nõ eſſet neceſſarium proprium obiectum fidei, quatenus tale eſt, alicui proponi à Deo immediate, ſed ſolum vt obiectum ſcientię, vel viſionis, & hoc modo Chriſtus Dominus immediate alijs fidem propoſuit, quamuis illi nulla ſit facta propoſitio fidei: quia fidem non habuit, ſed viſionem, & ſcientiam. Secundus ergo caſus in quo Deus propoſuit immediate fidem, dici poteſt dignationis, ſeu ſpecialis diſpenſationis, & hæc fuit propoſitio fidei per Chriſtum Dominum facta, de qua Paul. ad Heb. 1. Olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouiſſime locutus eſt nobis in filio, id eſt, per filium, & hoc eſt quod Iſa. 14. prædictum erat, Dabo filios tuos doctos à Domino. Propter quod dixit Chriſtus Dominus Ioan. 6. Scriptum eſt in prophetis, erunt omnes docibiles Dei, vt notauit Hieronym. ad dictum locum Iſaie. Tercius caſus vocari poteſt ſpecialis priuilegij, ſicut Paulus de ſe dicit, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, ad Galat. 1. & forſitan hoc priuilegium cõceſſum eſt Moyſi, Dauidi, aut alijs eximijs Prophetis, quamuis iuxta doctrinam Dionyſij, & Theologorum probabilis ſit omnes illas reuelationes factas eſſe miniſterio angelorum. Extra hos vero caſus ſit propoſitio per miniſterium hominum, vt in præcedente aſſertione probaui.

6. Altera vero pars aſſertionis procedit de immediatione virtutis: & ſenſus eſt, quoties fides prædicatur, vt propoſitio fiat ſufficientis, neceſſarium eſſe, vt ſpeciali modo Deus circa illam cooperetur, nõ tantum generaliter concurrendo per modum cauſę primę, quod per ſe clarum eſt, ſed etiam ſpecialiter adiuvando, & peculiari modo doctrinam confirmando, iuxta illud Marci vltimo. Predicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante. ſequentibus ſignis. Ratio autem eſt, quia doctrina fidei eſt valde ſupernaturalis, & magna ex parte repugnans humanę concupiſcentię, & ideo vt credibilis fiat, & amabilis, neceſſe eſt, vt diuina virtus interueniat, quę & illam ſpeciali modo perſuadeat, & capacitati hominis accommodet. Poteſt etiam amplius in hunc modum declarari, nam hæc fides dupliciter poteſt proponi primo per generalem prædicationem, quę ſit quando

Aſſertio a bipartita.

Prima pars aſſert de immediata propoſitione in immediatione ſuppoſiti, in tribus euen-tis locum habet.

Primus euen-tus neceſſitatis.

Secundus dignationis.

Præilegij.

2. pars aſſert de immediatione virtutis declaratur.

Ratione attenditur.

primum incipit introduci, sicut prædicata est per Christum, & per Apostolos & tunc profecto, necessarium fuit doctrinam confirmari signis propriis diuinæ virtutis, ut sunt miracula, & quæ infra sect. 3. commemorabimus, & ideo semper hunc ordinem Deus obseruauit, ut constat, in promulgatione Euangelij, & in promulgatione veteris testamenti, & fere in singulis Prophetis, ac denique de se ipso dixit Christus, *Si non uenissem, & locutus es fuissem: & si opera non fecissem in eu, quæ nullus alius fecit peccatum non haberent.* Alio modo contingit fidem iam sufficienter prædicatam, & introductam singulis prædicari, & quasi applicari, & tunc non sunt necessaria exteriora signa diuinæ virtutis, necessarium autem est, ut diuina virtus interius adiuuet, & cooperetur, ut unusquisque sufficienter percipiat propositionem fidei, & de illa conuenienter iudicet: nam totum hoc est opus valde supernaturale, quod sine peculiari auxilio gratiæ præstari non potest. Et hoc insinuat est. Aq. 16. cum de quadam femina dicitur, cui Deus aperuit cor, ut intenderet huius, quæ dicebatur à Paulo, quasi hoc fuerit necessarium, ut crederet: nam ut idem Paulus dixit, ad Corinth. 3. *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: propter quod dixit D. Gregor. homil. 36. in Euangel. Nisi diuinus Spiritus in cordi adstet audientis, otiosus est sermo doctoris, quia licet necessarius sit, non sufficit sine spiritus cooperatione.* His ergo modis propositio fidei est à Deo, vel immediate suppositi, vel immediate virtutis.

Satisfit allatis in num. 1. Ad locum Hierem.

7. Superest respondere ad motiua contrarij erroris. Et in primis testimonium Hierem. nihil ad propositum facit, quia ut iam in lib. 10. de legibus cap. 3. nu. 8. exposuimus, ibi specialiter promittitur noui testamentum, & lex Euangelica hominibus tradenda, ut exposuit Paul. ad Heb. 8. & 10. Vnde quia hæc lex perfectissima, & maxime spiritualis futura erat, ideo dicitur scribenda in cordibus, & mentibus hominum: non quia non esset tradenda per exteriorē doctrinam, sed quia mediante verbo Dei externō erat cordibus imprimenda, insinuat etiam ibi abundantia diuinæ doctrinæ futura in tempore legis gratiæ, & præcipue in initio in ipso met Messia aduentu, ut late & bene explicat Franciscus Ribera ad Heb. 8. Denique promittitur eo loco peculiaris gratia, & interna Spiritus Sancti illuminatio danda hominibus in hoc tempore legis gratiæ, ad credenda, & intelligenda mysteria, quæ illis prædicantur, iuxta illud Ioel. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, vnde in hoc valde errant heretici, nam confundunt internum spiritum, & auxilium gratiæ necessarium ad credendum, cum interna reuelatione.* Cum tamen hæc duo valde diuersa sint, nam auxilium internum gratiæ, in singulis necessarium est, ut credant: singularis vero reuelatio interna quæ per aures corporis non ingreditur, non semper nec regulariter necessaria est, ut diximus. Et inde sumenda est responsio ad secundum testimonium ex 1. Ioan. 2. nam ibi *unctionem spiritus* vocat Ioan. Internā inspirationem: nam per illam homo illuminatur, & iuuatur ad credendū: illa vero vnctio supponit exteriorem doctrinam regulariter loquēdo, quod clare insinuat ibidem Ioan. dicens *quod audistis ab initio, in vobis permaneat, vbi recte August. tract. 3. notat. superfluum fuisse, Ioannem monere, ut doctrinam datam retinerent, si sola interior illuminatio, seu reuelatio sufficeret, de quo etiam videri potest optime Greg. 5. Moral. cap. 18. alias 19. Et hinc patet responsio ad cetera testimonia; nam ratione interni auxilij gratiæ, dicitur Deus specialiter docere credētes, iuxta illud Psal. 93. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum:* & ideo August. sæpe auxilium gratiæ vocat interiorem doctrinam, quæ regulariter exteriorem supponit, & hoc modo exponit Gregor. supra locum Matth. 23. *Vnus est magister vester. Et sic etiam**

Aliud est interior reuelatio, aliud auxilium.

Ad loca Ioan.

Ad cetera loca.

ones Christi dicuntur vocem eius audire, & spiritualis dicitur omnia iudicare, per regulas tamen, & documenta fidei, & ad hunc modum intelligenda sunt alia, quæ afferri possent.

8. Ad rationem dicitur in primis, eandem fere difficultatē esse in propositione fidei, etiam si à Deo immediate fiat: nam qui illam recipit, nō videt euidenter Deum esse, qui loquitur, quando reuelatio est obscura, prout ad fidem necessaria est, ut in superioribus diximus. Eadem ergo difficultas relinquitur, quomodo talis propositio possit sufficere ad certitudinem infallibilem fidei. Responsio ergo generalis est, sufficere euidētiā credibilitatis, quæ tam in propositione externa, quam in mere interna inueniri potest. Qualis autem hæc sit, & quomodo sufficiat, paulatim explicandum est.

Ad rationem in cod. nat.

## SECTIO II.

*Qualis esse debeat propositio obiecti fidei, ut ad credendum fide Christiana sufficiat.*

Solent infideles vt ait Basil. in Psalm. 115. reprehendere Christianos, eo quod sine ratione, vel vt ipsi putant, contra rationem credant: quæ de causa dixit Paul. 1. ad Cor. 1. *Verbum crucis peruentibus videri stultitiam, & similiter ait Christum crucifixum iudæis esse scandalum. Gentibus autem stultitiam.* Porphyrius etiam, & Iulian. Apostata; vt refert D. Hieronym. Matth. 9. irridebant stultitiam eorum, qui Christi doctrinam, & vocationem sequuntur. Vnde alij heretici; ad vitandam hanc reprehensionem, in aliud extremum inciderunt, dicentes nil esse credendum, nisi quod ratione ostenditur, vt videri potest apud August. lib. de vtilitate credendi, & Bernard. Epistol. 109. Vera autem, & Catholica doctrina mediam viam tenet: nam & leuitatem animi, & duritiem cordis reprehendit in credendo: docetque quauis non semper possimus rationem reddere propriam earū rerum, quas credimus: posse nihilominus sufficientem rationem reddere cur credamus, sicut dixit Petrus. 1. Can. cap. 3. *Paratos nos esse debere ad reddendam rationem eius, quæ in nobis est per sensum fidei.* Hanc ergo rationem in præsentem inquirimus, nam ex hoc penderet, ut sciamus, quomodo possit talis esse propositio fidei, ut sit rationi consentaneum illam recipere.

Vana infidelium reprehensio.

Aliorum hereticorum extremus error.

2. Ratio autem dubitandi esse potest quia vel hæc propositio ostendit sufficienter rem credendam in se: & hoc dici non potest, quia per fidei doctrinam non ostenduntur veritates credendæ in se ipsis, ut est notum: vel ostendit res credendas saltem sub ratione credibiles, & hoc etiam non videtur dici posse: quia vel illa ostensio est tantum probabilis, vel est euidentis: prior est insuficiens, posterior autem videtur impossibilis: ergo nulla est quæ sufficiat: minor quoad priorem partem probatur, quia si propositio fidei sit tantum probabilis, relinquet formidinem, & dubitationem aliquam saltem de certitudine veritatis propositæ: ergo nō potest sufficiens esse ad credendum fide Christiana, quæ debet esse ita certa, ut omnem formidinem, & dubitationem excludat. Altera vero pars minoris probatur, quia mysteria fidei adeo superant rationē, ut interdū videatur necessarium prima principia, & alia quæ videntur euidentia negare, ut illa credantur: quomodo ergo fieri potest, ut talia mysteria fiant euidenter credibilia? Et confirmatur 1. nam videtur inuolui repugnantia, cum res credendi dicitur euidenter credibilis, nam res denominatur credibilis, ab ipsa fide per quam credi potest, sicut visibile dicitur per denominationem à visu, & intelligibile per denominationem ab intellectu: sed non potest res denominari euidenter credibilis ab ipsa fide, cum fides non sit euidentis: ergo repugnat rem esse euidenter credibile. Confirmatur 2. Confirmatur 3.

Ratio dubitandi in hac quaest.

Confirmatur 1.

Confirmatur 2. Confirmatur 3.